



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Tractatus Iuridico-Politicus De Iure Superioritatis Ac  
Summa Potestate Rom. Pontificis**

**Wesseling, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1662**

XII. Ferdinandvs II.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64514)

XI.

*MATTHIAS I.*

Rudolphi II. frater, qui eo adhuc vivente in propria persona cruenta prælia adversus Turcam suscepit, natus est an. 1557. electus Romanorum Imperator an. 1612. Sub ipso an. 1617. sumpsit exordium bellum Bohemicum cum Friderico Palatino Electore, qui se Regem facere volebat, infelicis suo successu, irritoque conatu, dum perfidiæ suæ ac commissæ in Cæsarem, & Imperium feloniam poenas daret, Altissimo Deo sic disponente, qui mandat Cæsari dari, quæ Cæsaris sunt, & Deo, quæ Dei sunt. Obiit an. 1619. Viennæ, ætatis suæ 63. regiminis verò 7. anno.

XII.

*FERDINANDVS II.*

Archiducis Caroli, Imperatoris Maximilianii II. fratris filius, seu nepos, natus Græcii an. 1578. creatus Romanorum Cæsar an. 1618. Rex Hungar. & Bohemiæ 1619. per suos Generales Tampir, Buquoy, Wallenstein, Papenheim, &c. adjuvante Deo, & potentissimo Principe Electore Maximiliano



liano Bavariæ Duce, sui consobrini Friderici propter Deum oblito, sui commodi propter commune bonum incurio, suæ vitæ propter Ferd. Cæsarem, & Imperium prodigè victoriosè belligeravit cum Bohemis, Hungaris, confœderatis, & unitis Principibus Protestantibus Catholicæ Religionis inimicis, Danis, & Suecis, quos in fugam, & stragem dejecit, adeo ut Austria sit conservata, Bohemia subjugata, Moravia recuperata, Hungaria quoad Turcas, & rebelles tremefacta, Silesia sollicitata. Vide Constantin. Peregrin. *in suo lib. tit. Buquoy, quadrimest. iter, &c. per tot.* Obiit in magna vitæ sanctitate in suo Imperiali Palatio Viennæ anno 1637. sepultus Græcii, postquam vixisset annos 58. imperassetque 18. & 12. præclaras reportasset victorias, quarum primaria fuit in Bohemia ad montem Album, ubi Cæsar, & Bavarus cum Generali Buquoyo, &c. de parienda victoria, ob inimicorum potentiam desperantes, sed à Ven. P. *Dominico à Jesu Carm. Discalc.* confortati, eoque Patre cum Crucifixo præeunte animati prælium ingressi confœd. parta victoria internecione deleverunt. Conjuges ejus fuere, prima



*P. I.*  
*o.*  
 Maria Anna Wilhelmi Ducis Bavariae filia: Secunda Eleonora Vincentii IV. magni Ducis Mantuae, &c. primogenita, filia prima natus est Sereniss. Archidux Leopoldus VVilhelmus anno 1614. quem Deus Opt. Max. sospitare, ejusque bona consilia, auxilia, & felices successus pro salute imperii felicissimis incrementis secundare dignetur.

## XIII.

## FERDINANDVS III.

Filius Ferdinandi II, natus an. 1608. Romanorum Imperator electus, & coronatus Ratisbonae an. 1636. in praelio ante Nordlingam commisso Triumphator exitimatum bellum cum Gallis, & Suecis 12. annos continuavit, ac saepe contra conjunctas coronas triumphavit, donec tandem anno 1648. post sexennem Tractatum pacis universalis *Monasterii Westphaliae* concluderetur. Obiit an. 1657. aetatis suae 49. regiminis vero 21. annor. Ex tribus suis uxoribus reliquit 3. filios, nempe ex Maria Philippa Hispaniarum, & Indiarum Regis filia Leopoldum Ignatium: Ex Maria Leopoldina Archiducis Leopoldi V. filia